



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

8. Homines vasis figuli similes, casu citiùs, aut tardiùs frangi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

530 Cap. XLVIII. Inuenes mori, nec contra naturam esse,  
Secundò. Id accidit fraude diaboli, pictorem imitantis. Pictor  
enim quædam in tabula ita depingit ut longissimè distare vide  
antur, quæ tamen in eadem tabula sunt, in qua illa, quæ putas  
oculis tuis vicinissima. Sic dæmon sæpe mortem, quæ in propin  
quo, immò jam in tergo est, facit longissimè distantem apparere.  
Hac fraude plurimi impelluntur, ut pessimè moriantur. Tertiò,  
Præsentium bonorum amor ac cura homines ita excæcat, ut non  
videant ea, quæ futura sunt, sed ut identidem terrenis intenti,  
vitam ducant absque metu. Sic simia canes fugiens, dum in aqua  
relucente imagine sua se oblectat & fugere obliuiscitur, capitur.  
Sic dum ocreas piscatorum pice illitas induit & ludic, liberta  
tem amittit. Maximè verò in spem longioris vitæ inducuntur  
juuenes, dum latentes morborum cauñas non vident, neque  
sciunt pugnam contrariorum in se, caloris defectum, & exter  
na pericula, quas tres esse cauñas diximus, ob quas adole  
scientibus mors solet venire ante tempus.

VIII.

Prima & secunda cauña, si secundūm se, & congenitum  
temperamentum spectentur, habent sanè certum à natura tem  
pus ac terminum sibi præscriptum; plerumque tamen is terminus  
à tertia cauña prævenitur & contrahitur. Pugna enim contra  
riorum in homine acuitur ab intemperantia, calor nativus in  
cenditur à libidine & furore; sæpe etiam calore extrinsecus ad  
ueniente calor destruitur naturalis. Quamobrem aut senibus  
sibi magis attendentibus ac temperantibus, neque totos con  
gios animæ suæ superfundentibus, non tantopere timenda mors  
est, quantopere juuenibus; aut saltem his æquè atque illis; quan  
do ijsdem constat principijs corruptionis. Quemadmodum vasa  
fictilia æquè sunt obnoxia periculo, siue noua sint, siue vetusta;  
fictile enim opus, fragile est opus; ita homines pariter omnes  
sunt mortales, & mille periculis expositi, siue sint senes, siue ado  
lescentes. Si enim figuli officinam ingressus videres mensam,  
immò omnem officinam fictilibus vasis refertam, quorum quæ  
dam recentia, & adhuc à furno calida; quædam antiqua; alia  
parua, alia magna; quædam deformia, quædam elegantia; & è  
figulo quereres, quodnam ex illis sit priùs frangendum? respon  
deret sine dubio, illud, quod aliquo casu priùs in terram deci  
derit,

derit, aut ad murum allidetur. Ita ex hominibus ille prius è vita  
decedet, non qui fuerit antiquior, sed quem aliquis casus applau-  
serit, duxeritque prius ad sepulchrum. Totus mundus nihil aliud  
est, quam quædam figuli officina. *Habemus thesaurum istum*, 2. Cor. 4. 7.  
(vitæ, animæ, gratiæ) in vasib[us] fictilib[us], inquit Apostolus: Su. Psal. 2. 9.  
mus ergo fragilia vasa: *Tamquam vas signi confinges eos*: & de Isa. 20. 14.  
alio dicitur: *commixuetur sicut lagenas signi*. Permittit ergo hæc  
vasa, & has lagenas casibus, & naturæ cursui omnipotens gu-  
bernator, cuius est naturas rerum non impedire, quas tanta sa-  
pientia consilioque produxit.

Quamquam interim, si illius consilia rimemur, nullus fit  
in orbe casus; omnia certo fine peraguntur, vel permittuntur.  
Nam si à natura velimus ascendere ad naturæ Authorem, &  
fontem rerum supernaturalem, qui est Deus, plurimas ille, gra-  
uissimasque insuper caussas habet, ob quas sæpe juvenes citius  
velit emori, quam senes. Apud Ieremiam legimus, Prophetam Ierem. 18. 1.  
jussum ire in domum signi, conspexisseque ibi facientem opus  
super rotam, & cum dissipatum esset vas, quod faciebat è luto  
in manibus suis, statim fecisse illud vas alio modo. Tum Deus  
ad Prophetam: *Numquid sicut signus iste, non potero vobis*  
facere? *Ecce sicut lutum in manu signi, sic vos in manu mea?* Rom. 9. 21.  
Quod si alia caussa non esset, ea esset, ut Dominus se signum  
illum esse ostenderet, qui formauit hominem de limo terra, & Gen. 2. 7.  
inspirauit in faciem eius spiraculum vita, & factus est homo in ani-  
mam vincentem. Sed & aliae illi suppetunt caussæ. Aliquando  
enim relinquit opus suum, donec naturæ infirmitate frangatur,  
quando scilicet ita ad gloriam Dei, atque ipius hominis id seruit  
utilitatem. Quod si caussa, & culpa interueniat aut parentum,  
aut filiorum, aut aliorum, ipse vas suum frangit, &, si placet,  
immutat, ut filium illum unicum viduæ, quem ante portas urbis  
Naim suscitauit; ut defunctam filiam Archisynagogi, ut ipsum. Luc 7. Luc. 8.  
etiam Lazarum fregit, & iterum per resuscitationem immuta-  
uit. Sæpe autem, immò plerumque fractum relinquit, quia pauci  
sunt, qui à mortuis suscitantur. Adeò ut rectè Mundus hic sit  
comparatus carceri, quem rex potens curavit ædificari, & in-  
cum coniici multa millia scelerorum hominum; mandans, ut

## IX.

Luc 7. Luc. 8.  
Ioan. 11.

XXX 2 singulis